DE ARISTOTELE SERVITVTIS DEFENSORE.

SYMBOLARVM AD HISTORIAM PHILOSOPHIAE

PARTICVLA PRIMA,

QVA

CANDIDATOS MAGISTERII

AD

EXAMINA SOLEMNIA

INVITAT.

GVILIELMVS TRAVGOTT KRVG
ORDINIS PHILOSOPHORVM
H. T.
PROCANCELLARIVS ET DECANVS.

LIPSIAE
EX OFFICINA KLAVBARTHIA
MDCCCXIII.

Quamvis ea hominis conditio, quam Graeci δȣλειαν, *servitutem* Romani appellabant, principiis sanae rationis prorsus repugnet, quippe quae, naturae cuivis ratione praeditae personae dignitatem tribuens, adeoque libertatem et internam et externam ipsi vindicans, pati non possit, ut homo homine tamquam re sibi propria et instrumento ad sua tantum consilia exsequenda comparato abutatur: omni tamen tempore exstiterunt non solum nomothetae, qui turpem istam hominis conditionem tolerarent ac legibus suis sancirent, sed etiam philosophi, qui eandem argumentis quibusdam vel potius argutiis defenderent et sua quasi auctoritate tuerentur. Hisce servitutis patronis adnumeratus est etiam *Aristoteles*. Cujus viri cum et antiquioribus et recentioribus temporibus summa fuerit auctoritas, alii servitutis patroni ad ipsum ita provocarunt, ac si res omnis hoc duce et propugnatore jam confecta esset, nec amplius quaerere liceret, justane an injusta talis sit hominis conditio?

Nuper tamen exstitit Vir doctissimus et acutissimus, *) qui, cum bene intelligeret, contrariam esse servitutem sanioris philosophiae praeceptis, probare studeret, Aristotelem nequaquam inter servitutis patronos esse referendum, ut hac ratione macula tanto nomini adspersa tandem elueretur. Nos vero, quamvis Aristotelem non secus atque Vir ille celeberrimus suspiciamus, veritatis tamen magis quam auctoritatis cujuscunque ſtudiosi, concedendum esse putamus, Aristotelem recte in servitutis defensoribus numerari.

Id ut clarius appareat, primum argumenta, quibus Meisterus Aristotelem ipsum defendere conatus eſt, paulo accuratius excutiamus. Disserit autem l. l. hunc in modum: „*Manche Naturisten* — ita Vir consultissimus juris naturalis doctores appellare solet — *tragen hier ein Misverständniss auf den scharfsinnigen Kenner des Naturrechts, auf Aristoteles, über. So spricht Hoepfner* §. 39. *Not.* 1. *von der oft genug widerlegten Grille des Aristoteles über Natursklaven; und bedient sich dabei der ganz falschen Zitazion Polit. Lib. I. Cap.* 3. *Denn diese Stelle sagt das gerade*

*) Meisterus, juris antecessor nunc Vratislaviensis, collega olim noster in literarum Universitate Francofurtana conjunctissimus, in libro: *Lehrbuch des Naturrechts* (Francof. ad Viadr. 1809. 8.) p. 160. §. 199.

gerade Gegentheil; hätte auch das Misverständniss auf einmal heben können und sollen. Sie befindet sich in den Opp. des Aristoteles (*Lugduni*, 1590. *Fol.*) *Tom. II. pag.* 179. *und lautet wörtlich also*: Νομῳ γαρ τον μεν δȣλον, τον δε ελευθερον. Φȣσει δε ȣδεν διαφερειν· διοπερ ȣδε δικαιον, βιαιον γαρ. *Stärker kann man den Charakter der Freiheit, als Bestandtheils des menschlichen Ur-Seinigen, kaum ausdrücken.*" — Verissime, si modo haec verba ipsius essent Aristotelis! Sed Vir alioquin sagacissimus in eruendis auctorum veterum sententiis nexum illorum verborum cum antecedentibus minus consuluisse videtur. Aristoteles enim hoc loco non suam ipsius, sed aliorum philosophorum, qui servitutem tamquam injustam condemnarent, sententiam affert. Totus nimirum locus, cujus ultimam tantum partem Meisterus attulit, ita se habet: Τοις μεν γαρ δοκει επιςημη τις ειναι ἡ δεσποτεια, και ἡ αυτη οικονομια και δεσποτεια, και πολιτικη και βασιλικη, καθαπερ ειπομεν αρχομενοι· τοις δε παρα φυσιν το δεσποζειν. νομῳ γαρ τον μεν δȣλον ειναι, τον δε ελευθερον· φυσει δ' ȣθεν διαφερειν. διοπερ ȣδε δικαιον· βιαιον γαρ. *) Iam vero ex oppositione membrorum orationis, verbis τοις μεν, τοις δε incipientium, manifestum est, Aristotelem in utroque

---

*) Usi sumus in citando editione Opp. Arist. *Du-Vallii* (Lutetiae Par. 1629. Fol.) in qua verba a Meistero laudata paulo aliter leguntur et interpunguntur. Sensus tamen idem manet.

que membro afferre sententiam aliorum philosophorum, et in altero quidem eorum, quibus dominium in servos (το δεσποζειν) contra naturam esse videretur. Horum igitur sententiam fusius exponit verbis: Νομῳ γαρ κ. τ. λ. Contendebant nempe isti philosophi, discrimen inter homines liberos ac servos non a natura ipsa, sed a lege, civili puta, esse constitutum; natura plane nullum esse discrimen inter homines quoad libertatem externam; adeoque injustam esse servorum conditionem, quippe quae sola vi nitatur. Quid autem sibimet ipsi hac de re videatur, utrum sententiae illorum philosophorum adstipuletur, nec ne, Aristoteles hoc loco nondum indicat. Hinc ejusdem loci in eruendo Aristotelis de servitute judicio nullus plane est usus. *)

Pergit deinde Ill. Meisterus ita: „*Das aristotelische System aber im Ganzen zu fassen, muss man mit jenem Kapitel des ersten Buches der politischen Schriften, oder de republica, auch die folgenden bis zum achten Kapitel vergleichen, Tom. II. pag.* 179 — 181. *Das fünfte Kapitel stellt abermals den höchst wahren Grund-Gedanken an die Spitze:* Πασα δȣλεια παρα

*) Patet hoc etiam ex indirecta loquendi forma, qua Aristoteles utitur. Si enim suum ipsius de servitute judicium enuntiare voluisset, sine dubio dixisset oratione directa seu finita: Νομῳ γαρ ὁ μεν δȣλος ἐστι, ὁ δε ελευθερος· Φυσει δ᾽ ȣδεν διαφερει.

παρα φυσιν εϛι." — Hoc loco Aristoteles suo quidem ipsius nomine loquitur, verum non asserendo, sed quaerendo seu problematice, ut Logici dicunt. Quod ut perspiciatur, iterum totum locum apponamus: Ποτερον δ' εϛι τις φυσει τοιȣτος (scil. δȣλος) η ȣ, και ποτερον βελτιον και δικαιον τινι δȣλευειν η ȣ, αλλα πασα δȣλεια παρα φυσιν εϛι, μετα ταυτα σκεπτεον. Duplex illud ποτερον manifesto indicat, Aristotelem hoc loco ipsam quaestionem de servitute, cujus notionem ac vim antea explicuerat, repetere et thematis instar proponere, de quo postea dicturus sit. Hinc verba: Πασα δȣλεια παρα φυσιν εϛι, non sententiam Aristotelis declarant, sed partem illius quaestionis efficiunt.*) Apparet hoc e voce αλλα, quae praecedit et haec verba cum antegressis η ȣ ita conjungit, ut indicetur, quid sibi velit haec negatio. Sensus igitur totius loci est hic: Utrum servitus pro natura quorundam hominum praestet libertati et justa sit, nec ne i. e. annon potius omnis servitus contra naturam sit, deinceps est quaerendum. Hinc et horum verborum nulla est vis ad Aristotelis de servitute judicium constituendum.

Tan-

*) Primaria est hermeneutices lex, quae prohibet, quo minus verba in oratione continua cum aliis contexta separemus ab his ac per se spectemus. Qua igitur ductus ratione Vir consultissimus dicere potuerit, caput quintum exordiri a verbis: Πασα δȣλεια κ. τ. λ, instar principii positis, vix assequi licet.

Tandem addit Cel. Meisterus et haec: „*Gegen das Ende desselben (Kapitels) aber, p. 180., macht Aristoteles eine Anmerkung, welche zu dem Misverständniss Anlass gegeben hat: Ὅτι μεν τοινυν εισι φυσει τινες οἱ μεν ελευθεροι, οἱ δε δουλοι, φανερον· οἷς και συμφερει το δουλευειν, και δικαιον εστι. Die Stelle selbst aber, unter Vergleichung mit den vorhergegangenen, bestimmt den Sinn des Aristoteles dahin, dass der Mensch sich seiner natürlichen Freiheit begeben; dass er einem Andern sich mit Bestand Rechtens unterwerfen könne; und dass die Natur selbst den Anlass dazu gebe, durch die ungleiche Vertheilung der Kräfte.*“ — Verumenimvero haec interpretatio a mente Aristotelis tam aliena est, ut Vir consultissimus, defendendi philosophi studio abreptus, ipsi aliquid, de quo numquam cogitaverit, obtrusisse videatur. Non enim de eo fuerat sermo, utrum homo sua ipsius voluntate alterius arbitrio sese subjicere eique servi instar obtemperare possit, sed unice de eo, utrum servitus ipsa sit a natura profecta, ita ut haec hominis conditio et utilis quibusdam et justa sit. Id autem prorsus affirmaverat Aristoteles in praecedentibus. Quod ut melius intelligatur, universam disserendi et argumentandi rationem, quam Aristoteles hoc loco (Polit. I, 3. ff.) secutus est, paulo accuratius jam explicemus.

Postquam Aristoteles c. 3. observaverat, domum seu familiam perfectam constare ex hominibus liberis ac servis, esse autem, qui negent, servitutem naturae accommodatam et juri con-

consentaneam esse, c. 4. servitutis ipsius notionem ac vim fusius exponit. Jam cum ad quamlibet artem exercendam instrumentis quibusdam opus sit, instrumenta autem vel inanima vel animata esse queant, servum contendit esse rem, quam dominus possideat et qua in arte oeconomica exercenda tamquam instrumento animato prae caeteris utatur. *) Hinc colligit Aristoteles, servum non solum ea ratione domini esse, qua dominus quoque servi dominus dicatur, sed illum omnino ac totum domini h. e. domino proprium esse. Qui enim natura non suus (sui juris), sed alterius, attamen homo sit, eum natura servum esse; alterius autem esse eum, qui ab alio possideatur, quamvis homo sit. **) Jam vero c. 5. quaestionem

---

*) Verba Aristotelis sunt: Ὁ δουλος κτημα τι εμψυχον, και ὥσπερ οργανον προ οργανων πας ὁ ὑπηρετης. Conf. ejusdem Eth. ad Nicom. VIII, 14. ubi simili modo dicitur: Ὁ δουλος εμψυχον οργανον, το δ' οργανον αψυχος δουλος.

**) Aristoteles ipse: Ὁ μεν δεσποτης, inquit, του δουλου δεσποτης μονον, εκεινου δ' ουκ εστιν· ὁ δε δουλος ου μονον δεσποτου δουλος εστιν, αλλα και ὁλος εκεινου. — Ὁ γαρ μη ἁυτου φυσει, αλλ' αλλου, ανθρωπος δε, οὗτος φυσει δουλος εστιν· αλλου δ' εστιν ανθρωπος, ὅς αν κτημα ᾐ, ανθρωπος ων. Haec ultima verba Cel. *Tennemannus* in opere alioquin praestantissimo, *Geschichte der Philosophie*, T. III. p. 310. perperam ita citat: αλλ' ουδ' εστιν ανθρωπος, ὅς αν κτημα ᾐ, ανθρωπος ον (ων), atque inde colligit, Aristotelem recte intellexisse, notiones hominis ac servi sibi invicem repugnare. Si hoc Aristoteles intellexisset, longe aliter de servitute judicare debuis-

nem proponit, utrum quis natura servus sit, nec ne, eamque statim ita explicat, utrum utile sit cuidam atque justum servire, nec ne, adeoque omnis potius servitus contra naturam sit. *) Ad hanc quaestionem ita respondet philosophus eodem capi-

buisset. Verum Aristoteles istis verbis explicare voluit, quid sit αλλȣ ειναι. Hinc non αλλ᾽ ȣδ᾽ εϛιν, sed αλλȣ δ᾽ εϛιν necessario legendum est.

*) Ipsa Aristotelis verba supra (p. VII.) jam allata sunt. Notandum tamen est, Aristotelem quaestioni aliquid immiscere, quod ab ea plane alienum est. Si enim quaestio ita explicatur, ποτερον βελτιον και δικαιον τινι δȣλευειν η ȣ, non solum de justitia, sed etiam de utilitate rei agitur. (Illud βελτιον enim h. l. non significare id, quod secundum rationis praecepta praestat, sed quod commodis quibusdam se commendat, e voce συμφερειν patet, quam Aristoteles paulo post adhibet. Το βελτιον igitur est το συμφερον, et τινι non ad δȣλευειν — servire alicui — sed ad βελτιον et δικαιον — quod cuidam ratione utilitatis et justitiae habita accommodatum est — referri debet). Potest autem servitus interdum ejusmodi hominibus, qui libertate uti nesciant, utilis, nec tamen juris principiis a ratione constitutis consentanea esse. Peccat igitur Aristoteles utrumque confundendo ac permiscendo; peccat vero etiam in eo, quod non accuratius definit, de qua natura sermo sit, utrum de natura in genere, an de natura hominis, et de quanam ejus natura. Potest enim servitus vel naturae in genere vel naturae hominis, quatenus est animal, accommodata esse, quamvis naturae ejusdem, quatenus ratione gaudet, maxime adversetur.

capite. Imperium (το αρχειν και αρχεσθαι) non modo necessarium, sed etiam utile est. Differunt enim quaedam statim ab origine sua ita, ut alia imperare, alia obtemperare debeant. Haec igitur illorum imperio, ipsa natura jubente, sunt subjecta. Sic animus corpori, mas foeminae, homines bestiis praestant, adeoque etiam naturae lege imperant. Simile discrimen locum habet quoad homines omnes ac singulos inter se comparatos. Alii enim magis idonei sunt ad labores viliores et opera mercenaria, quae corporis potissimum ope perficiuntur; alii ad artes excellentiores et negotia civilia, quae animi potissimum viribus indigent. Illi igitur ab ipsa natura ad servitutem, hi ad libertatem facti et comparati sunt, ita ut et illis utile sit, neque injustum, si his servire cogantur. *)

 Quam

---

*) Patet exinde, verbis: Ὁτι μεν τοινυν εισι φυσει τινες οἱ μεν ελευθεροι, οἱ δε δουλοι, φανερον· οἷς και συμφερει το δουλευειν, και δικαιον εστι, eam argumentationis Aristotelicae partem contineri, quam Logici conclusionem appellant, neque locum habere posse interpretationem illam horum verborum, quam Ill. Meisterus proposuit. Ipse tamen Aristoteles fatetur, fieri posse, ut is, qui serviat, libertate dignus, et vice versa, qui dominetur, ad serviendum aptior ist. Quod si verum est, omnis ipsius argumentatio corruit. Tum enim discrimen inter servos ac liberos non a naturae necessitate, sed a fortunae casu pendet.

Quam Aristoteles hoc loco proposuit de servitute sententiam, ei consentanea quoque sunt, quae alibi eadem de re protulit. Sic praecepta in Oeconomicis (I, 5.) quoad servos proposita humaniora quidem sunt, verum non propterea, quod servitus ipsa homine indigna sit, sed quod domino expediat, mitius tractare servos, medelam adhibere laborantibus, modice castigare peccantes, satis cibi (sed nihil vel parum vini) praebere operantibus, aliquid honoris habere liberalioribus, et libertatem ipsam omnibus tamquam virtutis praemium proponere. *) In Ethicis autem ad Nicomachum (VIII, 13.) contendit, uti nobis neque cum rebus inanimis, neque cum equis vel bobus, jus et amicitia intercedat, ita utrumque etiam cum servis non posse intercedere hominibus liberis. Quod cum sentiret durius esse dictum, et cum ipsa refragaretur experientia — saepius enim apud Graecos, uti apud Romanos, dominos et servos amicitiae vinculum invicem obstrictos tenebat **) — addidit

*) χρη δε και τελος (scil. δυλειας) ὡρισθαι πασι· δικαιον γαρ και συμφερον, την ελευθεριαν κεισθαι αθλον. Hoc loco justitia quidem commemoratur, sed simul etiam utilitas, quae inprimis spectatur et magis quam illa commendatur his verbis statim adjectis: Βυλονται γαρ πονειν, ὁταν ῃ αθλον και ὁ χρονος ὡρισμενος.

**) Sic *Diog. Laert.* VI, 74. narrat, Xeniadem Corinthium, cum Diogenem Cynicum a piratis captum emisset, cumque filiis suis

prae-

dit philosophus in distinguendo versatissimus: Ἡι μεν ϰν δϰλος, ϰκ εςι φιλια προς αυτον, ᾗ δ᾽ ανθρωπος· δοκει γαρ ειναι τι δικαιον παντι ανθρωπῳ προς παντα τον δυναμενον κοινωνησαι νομϰ και συνθηκης· και φιλιας δη, καθ᾽ όσον ανθρωπος. Ita autem sibimet ipse contradixit. Nam si jus quoddam locum habet inter omnes homines, quatenus omnes lege et pacto consociari possunt, per se patet, neminem esse posse natura servum alterius, sed ejusmodi nexum vel lege vel pacto, vel potius vi, cui lex aut pactum postea accesserit, niti debere. Fieri autem solet, ut vel acutissimi philosophi, relicto semel veritatis tramite, sensu quodam veri interno de errore admoniti et ad retractandum coacti, turpi εναντιολογιᾳ implicentur et quasi irretiantur. *) Verum

praeceptorem dedisset ac toti domui praefecisset, tanti aestimasse philosophum, ut fateretur: Αγαθὸς δαιμων εις την οικιαν μϰ ειςεληλυθε. Notissima quoque est amicitia, quae Ciceroni cum Tirone, primum servo, dein liberto suo, intercessit.

*) Sic et *Kantius* in jure naturae turpiter labitur, quum primum dicit: „*Der Herrscher im Staat hat gegen den Unterthan lauter Rechte und keine Zwangs-Pflichten*,“ deinde vero addit: „*Ohne alle Würde kann nun wohl kein Mensch im Staate sein, denn er hat wenigstens die des Staatsbürgers.*“ Conf. KANT's *metaphysische Anfangsgründe der Rechsslehre* (Regiom. 1797. 8.) p. 174. et 193. Si enim homo in civitate non omni dignitate privatur, nec principi ita subjectus esse potest, ut huic non nisi jura in cives

Verumenimvero non opus est, ut vim argumentationis, qua Aristoteles servitutem tamquam utilem et justam defendere conatus est, penitius examinemus. Tota haec argumentandi ratio istis potius temporibus ac moribus, quam nostris, est accommodata. Quae enim Aristolelis aetate apud Graecos servilia habebantur opera, ea jam apud nos homines liberi absque ignominia perficiunt, nec servis proprie sic dictis indigemus ad ea perficienda. Nobis igitur in eo tantum elaborandum est, ut, servitute externa abrogata, internam caveamus h. e. ut animum a servili sentiendi cogitandi agendique ratione liberum praestemus. Id autem quam maxime fieri potest philosophiae et artium, quae liberales vocantur, studiis. Haec enim animum erigunt, vel in summa rerum calamitate, eumque ad quaevis ardua tentanda idoneum reddunt. Hinc majores nostri sapientissimo consilio statuerunt, ut iis, qui studiis istis ingenium excoluissent diligentius, summos in iis honores ab Ordine Philosophorum hac in literarum Universitate constituto petere

atque

cives competant; tum enim cives omnes principis servi fierent, quod fieri posse Kantius ipse recte negat. Sed hic philosophus saepius sibi repugnat, vel in ipsa logica, quae principium contradictionis tamquam legem cogitandi primariam proponit. Vid. Kant's *Logik* (Regiom. 1800. 8.) §. 60. not. 2. coll. §. 75. not. 2.

atque ita praemia diligentiae suae publica obtinere liceret. Vos igitur, Viri juvenes, qui honores illos ac praemia consequi cupitis, humanissime rogo, ut ante d. XV. mensis Ianuarii, qui est ab Ordine solemnioris petitionis dies constitutus, nomina Vestra apud me profiteamini. Quod si, uti sperare fas est, pectore bene praeparato accesseritis atque colloquiis triduo poſt more majorum Vobiscum instituendis Ordini profectus Vestros rite probaveritis, lubentissime petiti honores in Vos conferentur. De me autem persuasum Vobis habetote, me omnibus quibus possim modis res Vestras esse adjuturum.

P. P. in Universitate literarum Lipsiensi Dom. I. Adv. Chr. A. MDCCCXIII.

negotium propria diligentiae quae publica obtinere liceret. Vos igitur, Viri [illegible], qui [illegible] illius ne [illegible] expertis, Submississime rogo, ut ante d. XV. mensis Ianuarii, qui est ab Ordine solemnioris petitionis dies constitutus, neminem [illegible] apud me praestiterint. Quod si, uti sperare fas est, [illegible] bene quae initio necessariis atque [illegible] modo post [illegible] Vobiscum instituendis Ordini professus Vestros rite probaveritis, Iubentissime petiti honores in Vos conferentur. De me autem [illegible] sum Vobis [illegible], me omnibus quibus possum modis [illegible] esse [illegible].

P. P. in Universitate Literarum Lipsiensi Dom. I Adv. Chr. A. MDCCCXII.